

*Quaeres 4. Quot sint virtutes temperantiae annexae?*

*Resp.* Praecipuae sunt, mansuetudo, clementia, modestia, et eutrapelia.

*Mansuetudo*, est virtus quae iram coercet, ne exurgat, nisi quando, quantum, et quomodo oportet,

*Clementia*, est virtus, quae vindictam coercet, ne ultra debitos fines exiliat.

*Modestia*, es virtus, quae affectus humanos, gestus, que, et ornatum corporis moderatur secundum praescriptum rectae rationis.

*Eutrapelia*, est virtus, quae in recreationibus modum servat honestum.

## DISSERTATIO II.

### *De Justitia.*

*Quaeres 1. Quid sit justitia?*

*Resp.* Definitur a Jurisconsultis, *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Clarius desiri potest, *virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad aequalitatem*.

*Quaeres 2. Quomodo dividatur justitia?*

*Resp.* Dividitur in legalem, distributivam, et commutativam.

*Justitia legalis*, est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum reipublicae debitum, ratione juris alti quo habet in personas privatas et eorum bona.

*Justitia distributiva*, est virtus moralis inclinans eum, qui communitati praeest, ad distribuenda officia et bona communitatis juxta eujusque meritum, si sit remuneratoria, vel ad irrogandas poenas juxta modum culpae, si sit vindicativa.

*Justitia commutativa*, est, *virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam*; id est, secundum ae-

qualitatem rei ad rem, solutionis ad debitum, nullo habito respectu ad conditionem personae cui fit solutio; per quod differt a justitia distributiva, quae servat proportionem *geometricam*, quae est adaequatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis et meriti personarum, quibus res distribui debent.

*Quaeres 3. Quaenam sit justitia stricte sumpta?*

*Resp.* Sola commutativa quae reddit alteri quod ei stricto jure debetur. Unde ex ea sola oritur obligatio restitutionis, non autem ex distributiva, nisi quatenus commutativae sociatur, quod plerumque contingit.

*Quaeres 4. Quodnam est objectum justitiae?*

*Resp.* Objectum *materiale*, est res aut actio alteri debita, et reddenda; quia circa illam ita versatur justitia, ut circa eam aliae quoque virtutes versari possint, cum religio et pietas versentur circa res Deo et parentibus debitas. *Formale* vero, est eadem res prout stricte debita et ad aequalitatem reddenda, quia sub hoc respectu speciali ita spectatur a justitia, ut sub eodem ab aliis virtutibus non attingatur.

*Quaeres 5. Quodnam sit fundamentum justitiae?*

*Resp.* Est *jus*. Unde agemus 1. de jure: 2. de contractibus in genere: 3. de contractibus in particulari: 4. de injustitia et restitutione in genere; 5. de injuria et restitutione in particulari.

## CAPUT I.

### *De Jure.*

*Quaeres 1. Quid sit jus?*

*Resp.* Est legitima facultas ad aliquid faciendum, vel prohibendum, vel obtainendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum, cuius violatio injuriam constituit. Haec descriptio continet omnes iuris species.

Quaeres 2. *Quomodo dividitur jus?*

*Resp.* Dividitur in *jus in re*, quod quis habet in re jam sua et obtenta per legitimum titulum, et rei traditionem; et in *jus ad rem*, quod quis habet ut res fiat sua. *Jus in re* dat actionem realem; *jus ad rem* dat actionem personalem.

Quaeres 3. *Quot sint species juris?*

*Resp.* Sex, nempe, usus, ususfructus, servitus, habitatio, superficies, et dominium.

Quaeres 4. *Quid sit usus?*

*Resp.* Est jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia. Unde simplex usuarius potest quidem uti re aliena pro se et sua familia, quantum quotidiana requirit necessitas; sed non potest ipsos fructus vendere, locare, dare, &c.

Quaeres 5. *Quid sit ususfructus?*

*Resp.* Est jus utendi, et fruendi re aliena, salva ejus substantia. Unde, usufructuarius non habet tantum jus utendi re aliena, sed et *fruendi*, id est, percipiendi omnes fructus, quos potest vendere, locare, donare, manente apud eum usufructu, quem non potest vendere aut donare absque consensu proprietarii.

Quaeres 6. *Quid sit servitus?*

*Resp.* Servitus *active sumpta*, est, jus quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat. *Passive sumpta*, est subjectio rei alienae, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.

Quaeres 7. *Quid sint habitatio et superficies?*

*Resp.* 1. *Habitatio*, est jus habitandi in alienis aeribus, salva earum substantia. 2. *Superficies*, est jus quo quis alieni fundi superficiem possidet et in eo aedificare potest. *Habitatio* et *superficies* comprehendunt sub usufructu late sumpto.

Quaeres 8. *Quid sit dominium?*

*Resp.* Est, *jus disponendi de re tanquam sua, nisi lex, vel pactum obsistat*. Sic, licet pupillus sit suorum

bonorum Dominus, ea tamen non potest alienare; unde licet habeat jus de iis disponendi, illud jus est ligatum a lege, et ideo non habet actum disponendi.

Quaeres 9. *Quomodo dividitur dominium?*

*Resp.* In plenum seu perfectum, et non plenum seu imperfectum.

Dominium *plenum*, est, jus disponendi de re, illius que fructibus tanquam suis.

Dominium *non plenum*, est jus disponendi vel de re sola, et dicitur *dominium directum*: vel de solis fructibus rei, et dicitur *dominium utile*.

Quaeres 10. *Quaenam requiruntur ad acquisitionem domini?*

*Resp.* Tria, scilicet, titulus, traditio rei, et aditio possessionis.

Quaeres 11. *Quid sit titulus?*

*Resp.* Est radix unde dominium oritur. *Triplex* est, nempe, *verus*, qui a parte rei subsistit, talis est venditio facta a vero rei Domino. *Coloratus*, qui bona fide creditur *verus*, licet, ob latentem aliquem defectum, talis non sit, talis est venditio ab eo facta qui rei venditae merito credebatur Dominus, licet talis non esset. Et *praesumptus*, quem jus, ob temporis diuturnitatem, praesumit, cum tamen forte non intervenerit.

Quaeres 12. *Quotuplex sit possessio?*

*Resp.* Duplex, nempe, facti, et juris.

Quaeres 13. *Quid sit possessio facti?*

*Resp.* Definitur: *Apprehensio rei, corporis, animi, et juris adminiculo*.

Dicitur 1. *Adminiculo corporis*: quia ut res aliqua incipiat possideri, debet corporaliter apprehendi, vel in se; v. gr. manibus, pedibus, &c. vel in aliquo instrumento in quo censeatur contineri, v. gr. clavium traditione. 2. *Animi*, quia debet apprehendi animo possidendi, unde depositarius non dicitur possidere depositum. 3. *Juris*, quia necesse est, ut jus non im-

pediat talem apprehensionem, sicut impedit ne Lai-  
cus apprehendat rem sacram.

*Quaeres 14. Quid sit possessio Juris?*

*Resp.* Definitur: *Jus insistendi rei tanquam suae,  
non prohibitae possideri.* Hoc jus oritur ex possessione  
facti.

*Quaeres 15. Quomodo dividatur possessio juris?*

*Resp.* Dividitur in *civilem*, qua res, corpore et  
animo apprehensa, solo animo retinetur: sic possidet  
res suas qui ab eis abest. Et *naturalem*, qua res cor-  
pore et animo occupatur: sic possidet qui rem de fa-  
cto occupat per se, vel per alium, cum animo eam re-  
tinendi, diciturque naturaliter et civiliter possidere, et  
haec possessio est firmissima: aliquando possessio *nat-  
uralis* separatur a *civilis*, v. gr. quando fur occupat  
rem meam, tunc ille *naturaliter* possidet, ego *civiliter*.

*Quaeres 16. Utrum homo habeat dominium suae  
famae?*

*Resp. affirm.* Quia ei competit primarii actus domi-  
ni circa famam, nempe, potest eam sibi acquirere,  
ablatam in judicio repetere, restitutionem ejus condo-  
nare, nisi id vergat in alterius detrimentum, ait D.  
Thom. q. 73. art. 4. ad 1.

*Quaeres 17. An homo habeat dominium vitae et mem-  
brorum?*

*Resp.* Habet dominium *utile*, sed non habet domi-  
nium *directum*, solus enim Deus *vita et necis* habet  
*potestatem*. Sap. 16. hinc homo non potest se mutila-  
re, nisi ad conservationem totius.

*Quaeres 18. Quarum rerum filii familias, nondum  
emancipati, habeant dominium?*

*Nota.* Bona filiorum familias, alia sunt *castralia*,  
quae acquirit in militia, vel obsequio principis. Alia  
*quasi castralia*, quae acquirit ex beneficio ecclesiasti-  
co, vel professione scientiae, aut artis liberalis. Alia  
*adventitia*, quae ei, neque a patre, neque intuitu patris

obveniunt. Alia *protectitia*, quae acquirit filius ex bo-  
nis patris, vel intuitu patris.

*Resp.* 1. Bonorum *castralia*, et *quasi castralia*,  
habent dominium plenum et perfectum. 2. *Adventitia-*  
*rum*, habent quidem dominium directum, sed pater  
habet usufructum et administrationem. 3. *Protecti-*  
*tiorum*, pater habet dominium plenum et perfectum.  
Ratio horum omnium, est dispositio juris.

*Quaeres 19. Quorum bonorum uxores habeant domi-  
nium?*

*Nota.* Bona uxoris, alia sunt *paraphernalia*, quae in  
contractu dotali sibi reservavit, vel quae, contracto  
matrimonio, acquisivit, v. gr. donatione, legato, &c.  
Alia *dotalia*, quae tradidit marito ad onera matrimo-  
nii sustinenda. Alia *communia*, quae tempore matrimo-  
nii communi labore sunt acquisita.

*Resp.* Jure communii, habet 1. Bonorum *parapher-  
nalium* dominium plenum. 2. *Dotalium*, habent domi-  
nium directum, administratione et usufructu remanente  
penes maritum. 3. *Communium*, habent dominium di-  
rectum pro dimidia parte, sed administratio, et ususfruc-  
tus sunt mariti. Hinc non possunt ea surripere aut  
impedire, marito rationabiliter invito.

*Quaeres 20. Quomodo acquiritur dominium rerum  
quae sub nullius sunt dominio?*

*Resp.* Vel nunquam habuerunt, aut censentur nun-  
quam habuisse dominum, vel habuerunt.

*Si primum*, acquiruntur occupatione. Hinc sunt pri-  
mo *occupantis*. 1. Animalia omnino fera, in loco pu-  
blico, et non circumsepto vagantia. 2. Animalia fera,  
usu mansuetacta, si amiserint consuetudinem ex libera  
vagatione redeundi in potestatem domini, quia natu-  
ralem libertatem recuperarunt. 3. Lapilli, gemmae,  
ambrarum, coralium, quae in littore maris inveniuntur.

*Si secundum*, acquiruntur inventione; sic secundum  
jus naturale et gentium acquiruntur thesaurus et bona

dereicta. Duxi, secundum *jus naturale et gentium*, quia circa ista sunt variae dispositiones juris civilis Romanorum et Gallici, quae observandae sunt, et quas retulimus in nostra Theologia.

Quoad rem inventam, certum est, quod domino sit restituenda, si inveniri possit, quia res semper clamat pro domino, qui in hunc effectum diligenter inquirendus est. Quod si, post sufficientem inquisitionem, dominus non reperiatur, tunc res inventa pauperibus est eroganda, vel in pios usus consumenda, ex authent. *Omnis peregrini.*

Quaeres 21. *Quomodo acquiratur dominium rerum, quae sunt sub alicujus dominio?*

*Resp.* Acquiruntur, volente domino, per contractus, ut videbimus capite sequenti; *invito domino*, acquiruntur per praescriptionem.

Quaeres 22. *Quid sit praescritio?*

*Resp.* Est, *acquisitio dominii per possessionem bona fidei continuatam tempore per legem definito.*

Quaeres 23. *Quaenam conditiones requirantur ad legiunam praescriptionem?*

*Resp.* Quatuor: 1. *Possessio*, rei non prohibitae possideri, ex Reg. 3. juris in 6. *Sine possessione praescritio non procedit.*

2. *Bona fides*, ex Reg. 2. juris in 6. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Porro non est in bona fide qui incepit possidere cum dubitatione num res esset sua, quia in dubio favendum est possessori. Quod si dubitatio superveniat possessioni bona fide inchoatae, et moralis exhibita fuerit diligentia ad veritatem indagandam, non officit bonae fidei et praescriptioni, quia in dubio melior est conditio possidentis.

3. *Titulus*, coloratus, aut *praesumptus*, si praescritio sit longissimi temporis; quia sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis.

4. *Est tempus a lege definitum*, quod diversum est

pro diversitate rerum praescribendarum. Nam,

1. Ad res mobiles praescribendas cum titulo requiruntur tres anni inter praesentes, et quatuor inter absentes. Sine titulo requiruntur 30. anni, quae praescritio dicitur longissimi temporis.

2. Ad praescribenda immobilia privatorum cum titulo requiruntur decem anni inter praesentes, et 20. inter absentes. Sine titulo requirantur 30.... Duxi, privatorum; nam ad praescribendum contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100. anni; contra alias Ecclesias vel pias causas, 40.

Quaeres 24. *Quinam censentur praesentes?*

*Resp.* Juxta jus commune, sunt qui in eadem Provincia et sub eodem regimine commorantur. Juxta jux Gallicum, sunt qui commorantur sub unius Ballivi aut Seneschalli jurisdictione, licet bona sint alibi sita.

Quaeres 25. *Utrum praescritio dominium transferat in foro etiam conscientiae, ita ut completa praescritio non teneatur qui praescripsit restituere, etiamsi cognoscat rem fuisse alienam?*

*Resp. affirm.* Quia dominium illius rei legitima auctoritate fuit translatum propter bonum communem, ne scilicet dominia essent incerta, lites multiplicarentur, &c. ergo.

## CAPUT II.

### De Contractibus in genere.

Quaeres 1. *Quid sit contractus?*

*Resp.* Est, *pactum ultro citroque, vel alterutro tantum obligationem pariens.* Si ultro citroque obliget, dicitur *contractus perfectus*, et *onerosus*, quia aliquid datur, et aliud rependitur, tales sunt, venditio, locatio, &c. Si alterutro tantum obliget, dicitur *imperfectus*, et *gratiosus*; quia aliquid recipitur, et nihil rependitur. Talis est donatio, commodatum, &c.

**Quaeres 2. Quomodo dividitur contractus?**

**Resp.** 1. Dividitur in *nominatum*, qui habet nomen speciale, ut *venditio*; et *innominatum*, qui non habet nomen speciale, sed retinet nomen genericum pacti; v. gr. *Do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias.*

2. Dividitur in *nudum*, qui caret omni firmamento, quod actionem civilem parere possit; et *vestitum*, qui tali firmamento innititur. Porro *firmamenta juris*, sunt, *scriptura, stipulatio, testes, juramentum, &c.*

3. Dividitur in *contractum bonae fidei*, in quo Judex ex aequo et bono multa moderari potest, quae, licet a contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen secundum bonam fidem contractui inesse. Et *contractum stricti juris*, in quo Judex ad verba contrahentium adstringitur.

**Quaeres 3. Quinam contrahere possint?**

**Resp.** Omnes et soli qui liberam suorum bonorum administrationem habent, nisi a jure impedianter. Sic *tutor, instit. de auctor. tutor.* impeditur contrahere cum pupillo.

**Quaeres 4. Qualis debeat esse consensus ut valeat contractus?**

**Resp.** 1. Debet esse *verus et internus*; hinc 1. *contractus cum errore vel dolo circa substantiam rei, aut circa qualitatem redundantem in rei substantiam initus, est jure naturae nullus, etiamsi error fuerit tantum concomitans, quia deest consensus verus et substantialis.* 2. *Initus vero cum errore et dolo circa qualitatem rei accidentalem, est validus, etiamsi error dederit causam contractui, quia tunc adest consensus verus et absolutus circa rem ipsam.* 3. *Tamen si dolus, qui dedit causam contractui, provenerit ab altera parte contrahente, contractus, etsi validus, potest rescindi pro arbitrio decepti, ratione injuriae ipsi illatae, nisi contractus sit indissolubilis, ut sunt matrimonium et professio religiosa.*

**2. Debet esse omnino voluntarius.** Hinc *contractus initus ex metu gravi, injuste, ab extrinseco libero, ad extorquendum consensum incusso, est validus, nisi jure positivo irritetur*, quia est simpliciter et absolute voluntarius; potest tamen rescindi ad arbitrium vexati, qui per *contractus rescissionem* se potest indemnum reddere.

**Dixi:** *Nisi jure positivo irritetur: sic irritantur matrimonium, contractus dotalis, professio religiosa, promissio et traditio rerum Ecclesiae, et jurisdictione metu gravi extorta.*

**Quaeres 5. Quam obligationem parit contractus?**

**Nota.** Obligatio triplex est, nempe, *mera naturalis*, quae obligat in conscientia, *quamvis in foro externo non det actionem. Mera civilis*, quae dat actionem in foro externo, ob aliquam *praeumptionem falsam, quamvis non obliget in conscientia. Et mixta*, quae ligat tam in foro conscientiae quam in foro civili.

**Resp.** Omnis *contractus validus etiam nudus, parit obligationem in conscientia, licet in foro exterior non det actionem, nisi juramento firmetur, quia jure naturae quiske tenetur servare fidem datum, cum eam fallere, intrinsece malum sit.* ... dixi: *Nisi firmetur juramento: quia contractus nudus per juramentum fit vestitus.*

**Quaeres 6. An contractus sine solemnitatibus a jure requisitis factus, liget conscientiam?**

**Resp. negat.** Patet ex praxi; v. gr., in matrimonio clandestino, in *contractu pupilli sine tutoris auctoritate, qui jure naturae essent validi, nisi jus positivum eis resisteret.* Ratio est, quia voluntates et bona subditorum subjiciuntur reipublicae in ordine ad bonum commune et rectam subditorum gubernationem; ergo potest statuere certas conditiones, siue quibus *contractus subditorum non sunt validi, nec obligant in conscientia.*

**Objicies.** Lex quae *contractus sine quibusdam solemnitatibus factos irritat, fundatur in praeceptione*

fraudis; ergo quando non intervenit fraus, contractus est validus.

*Resp. Nego ant.* Non enim fundatur in praesumptione, sed in periculo fraudis, quod semper reperitur. Quaeres 7. *Utrum contractus invalidus firmetur iuramento?*

*Resp.* Si contractus ex natura sua sit invalidus, non firmatur juramento, quia juramentum, utpote contractui extrinsecum, non mutat naturam illius. Si vero sit invalidus solo jure positivo, firmatur juramento, quando irritatio facta est immediate et principaliter propter utilitatem privatam jurantis, quia potest renuntiare juri quod in suum favorem introductum est. Econtra non firmatur quando irritatio facta est immediate et principaliter propter bonum commune, sic Clericus non potest renuntiare privilegio canonis et fori, quia tunc juramentum esset de re illicita, et consequenter non tantum non firmat contractum, sed et ipsum est invalidum, nec indiget relaxatione.

Porro juramentum, sive firmet contractum, sive non, est validum, si sit de re licita, obligatque, ne Deus redatur testis falsitatis, sed potest tolli relaxatione.

### CAPUT III.

#### *De Contractibus in particulari.*

**I**mmes contractuum species referre non sinit compendii ratio; eas ergo solum attingemus, quae sunt magis in usu, et in quibus justitia saepius laeditur, tales sunt locatio et conductio, emptio et venditio, mutuum, cambium, census, et societas.

#### *§ L. De locatione et conductione.*

Quaeres 1. *Quid sit locatio?*

*Resp.* Est, contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio conceditur.... Dici-

tur; *Pro pretio:* id est, pro pecunia, si enim fieret pro alia re, esset contractus innominatus.

Quaeres 2. *Quid sit conductio?*

*Resp.* Est, contractus, quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pro pretio comparatur.

Quaeres 3. *Quaenam sint obligationes locatoris?*

*Resp.* Tenetur 1. rem non locare pretio justo maiore. 2. Aperire conductori via rei locandae occulta et noxia. 3. Impensas in rei reparacionem necessario factas solvere. 4. Non locare rem suam ei qui illa male usurps est. 5. Remittere pensionem, quando ob casum fortuitum conductor nullum omnino, vel minuere quando modicum fructum ex re conducta percepit, nisi si aliter juste conventum sit. 6. Rem ante tempus constitutum non repetrere, nisi in casibus a jure exceptis.

Quaeres 4. *Quaenam sint obligationes conductoris?*

*Resp.* Tenetur 1. rem, vel operas personae, non conducere pretio justo minore. 2. Non uti re locata, nisi ad usum concessum. 3. Pensionem statuto tempore solvere. 4. Rem, vel personam non dimittere ante terminum constitutum. 5. Modicas impensas ad rei conservationem necessarias facere. 6. Rem locatam, completo locationis tempore, remittere in bono statu.

Quaeres 5. *Ex qua culpa conductor teneatur ad restitucionem, si res conducta pereat, aut deterior fiat?*

*Nota 1.* Culpa duplex est, nempe, *theologica*, quae est peccatum, et *civilis*, quae est omissione diligentiae, ex qua alicui damnum creatur, sive omissione sit peccatum, sive non: *triplex* est, lata, levis, et levissima.

Culpa *lata*, est omissione diligentiae quam communiter homines ejusdem conditionis adhibere solent: v. gr. si quis rem sibi commodotam foris ante ostium relinquit, ex quo a transeunte surripiatur.

Culpa *levis*, est omissione diligentiae quam prudenter adhibere solent, v. gr. si rem commodatam in suo relinquit cubiculo, sed non clauso ostio.